

MONODIA

IN OBITVM STRENI AC
MAGNIFICI HEROIS DOM. GVILELMI
TVGINERI, EQVITIS AVRATI, CARO-
LI IX. GALL. REGIS CHRISTIANISSIMI
quondam Dapiferi, Strategi, Heluetici Somato-
phylacij Praefecti, necnon Senatoris Salo-
dorensis prudentissimi.

Auctore

FRANCISCO GVILIMANNO HELVETIO.



Friburgi Helueticorum.

Ex officina Typographica Abrahami Gemperlini.

M. D. XCI.

Ee 28, 19

R259483160

W. H. B. ...
THE ...
MAGNIFICENT ...
...
...
...

...
...
...





MONODIA
IN OBITVM CLARISSIMI

D. GVILELMI TVGINERI
Equitis Aurati, &c.



VAE mihi digna satis faciant in carmina vires?
Aut potius tantos quæ tandem carmina luctus
Expedient? Ergon' cecidit noua gloria gentis

Heluetica, Calli columen, spesq; inclita regni?

Tuginere iaces, nec te tua viuuda Virtus,

Et pietas, iusti^q tenor, immotus & æqui

Letiferis potuit mortis prohibere sagittis?

Tuginere iaces, & opis nos linquis egenteis,

Consilio^q tuo, per tot discrimina rerum,

Quæ trepidis totum concussant motibus orbem.

Hei mihi quod nullis licet irreuocare malignas

Parcarum meritis leges, nec fata seuerø

Quod semel edicto sanxerunt rumpere fas est.

Stat sua cuiq; dies, certoq; inclusa meatu

Quidquid adest vitæ trahitur spirabilis aura

Nec fas est optare vltra, aut optata potiri:

Cuncta rapit secum dira inclementia mortis

Inuoluitq; vices rerum discrimine nullo.

Sola manet, virtus, & gesta gloria vitæ

Quæ tamen extinctum te Tuginere sepulcro

Includi vetuit, quæ te post funera, demum

CARMEN LVGVRE.

Surgere laude noua voluit liuore sepulto.
 Nam quid commemorem quæ totum sparsa per orbem
 Grandia te populo secernunt gesta profano?
 Efficiuntq; parem priscis heroibus, ætas
 Quos antiqua alto iam dudum adscripsit Olympo,
 Seu pacem sequeris, seu crudi incerta duelli,
 Et memorasse tamen, iuuat & meminisse laborum
 Nempe ferent animis aliqua hæc solatia nostris.
 Bellantem primum vidit te Insubria tellus,
 Casareas aquilas quando plaudentibus alis
 Callus disiecit, regniq; ex parte fugauit.
 Vidit, & obstupuit, cum non tironis in armis,
 Aequares sed facta ducum, & magno incitus ausus
 Primus in hostiles raperes socia agmina turbas
 Quæ se virtutis solida via cumq; patebat.
 Prima rudimenta exponens prænuncia tanti
 Pectoris, inuictæ & per cuncta pericula mentis.
 Non aliter memorant, ut tandem exutus amictu
 Degeneri cultus cœpit tractare virileis
 Sanguineisq; manus residues adsuescere rixis,
 Aeacidem Phrygias toto exagitasse cohortes
 Litore, cum primum inuicti conterruit arma
 Hectoris, & docuit tandem quoq; vincere Graios,
 Et iam cunctantem, victriciaq; arma trahentem
 Captæ per Ausonidum successibus oppida faustus.
 Magna virum genetrix te dudum Gallia tellus
 Optabat, Ducibusq; suis conferre parabat
 Nil adeo fortuna modis dedit omnibus æquum

CARMEN LVGVBRE.

Mobilis aut vultu cuiquam sic risit amico
 Ut non quamprimum temere ludibria mentis
 Expromat, mox & tristi se inuoluat amicta:
 Cui nuper tantum Insubres fauisse per oras
 lactabat, pulsatum acie dimisit iniqua
 Gallica cum raperet tumido Phrudis arma meatu.
 Sanguineus, clipeosq; virum, galeasq; sub vndis
 Volueret, & fluuio diuersicolore patentem
 Tingeret Oceanum, spolijsq; augeter opimis.
 Nec tamen interea fugit, aut mens fracta labascit
 Addit spes animos, & Martia pectora firmat,
 Spes quæ sola viris semper comes addita, rebus
 Afflictis quandoq; adfert solatia, magnis
 Pectoribus subigens stimulos, ad grandia, durumq;
 Ostendens virtutis iter, quæ sepe proterua
 Sorte quidem latet oppressa, at se interrita tandem
 Colligit, & magno perrumpit ad ardua nisu
 Conscia sola sibi, nec te frustrata fefellit
 Santonicis mox victorem te vidit in oris.
 Illa dies, quæ forte malis imponere finem
 Optatum poterat, si fata benigna tulissent.
 Diuaq; Tonicis cum victa resunderet vndis
 Longius & Liri daret arma ferenda cruento.
 Sed prius & Druidum sacrare cruore rebelli
 Institeras salus, quos prodigiosa vetustas
 Tinxerat insoniti ritu delusa profano.
 Nec tua se terris inclusit mascula virtus
 Ausa etiam ignotas pelagi tentare procellas

CARMEN LVGVBRE.

Armaq; vicinis nimium fidentibus vndis
 Inferre, & valido belli quassare tumultu
 Testis erit longo vix Marte recepta Caletum
 Urbs tot Brutiadum populis dominata per annos.
 Testis Rupella, pinguiq; Bononia cultu.
 Talia sed celebrent alij melioribus orsis
 Carminibus vires quibus addit Cynthius, arma
 Dicere grandisono subigitq; horrentia cantu.
 Ne potius placida iuuat artes promere pacis
 Vincentemq; togam votis potioribus arma
 Te Pietas, te Xenosyne, te candida terras
 Si quando infestas, superis Astra relictis,
 Visunt cultorem, defensoremq; petebant.
 Xenosyne in terris primus sua templa sacra sti
 Quæ properè ingressu latus potat aduena primo
 Nec parcens opibus, nec opum preciosa volutans:
 Sola ratus te digna alacri quæ dedita fama
 Inuentum meritis nomenq; decusq; perennant.
 Nec minus Astra e molimina grandia legum
 Firmasti: verbis, vltici fortis & ense.
 Cognatus Pietas te tandem reddidit astris.
 Heu mihi nunc quantam fecerunt nostra ruinam
 Tempora! quæ miseros fatalia damna sequuntur?
 Vindice te indignis erepto ad candida terras
 Tempora Deum. video totum trepidare tumultu
 Insolito mundum, populos & ad arma ruentis.
 Telorum feruent acies, manibusq; sarisse
 Quassantur solida, subigit Memoriam passim.

CARMEN LVGVRE.

Corda insanus amor ferri, innocuiq; cruoris
 Quo ruitis miseri, miseræ cum ciuibus vrbes
 Facturi, domuum clades, & pestis agrorum
 Tolle caput, ô Rhene pater, circumspice ripas
 Compleuere tuas quæ extremis agmina ab oris.
 Quantus cornipedum fremitus, sonitusq; rotarum
 Aude animo, nocuosq; vndis vltimicibus hauri,
 Ni tua colla premi semper cupis, & mala nobis
 Debes ludibria, imperit asq; inglorius amni
 At vos quos agitat regnandi tanta cupido
 Iungite amicitias & dextras federe dextris
 Nectite perpetuo, nec vos potiora sequutos
 Tandem pœniteat, vincat quem vincere fas est.
 Quanta animis vis insideat, quæ pectore virtus
 Ostensum satis atq; super, mens omnibus audens,
 Pregnandiq; capax, vni tamen vna corona
 Debetur, nec consortem capit vlla corona.
 Adspicite absumtas flammis ciuilibus vrbes
 Tendentesq; manus populares: vndiq; fuso
 Pinguescunt patuli miserorum sanguine campi.
 Securum nihil est, nihil vsq; fidele, cruento
 Cuncta patent ferro, moriendi mille figuræ.
 Adspicite, & miseris demum regnoq; quietem
 Reddite, quodq; potest finem properate duelli.
 Nos hæc pœna trahit meritos, scelerumq; nocentis
 Arguit. astriferite Iuginare receptant
 Lucida recta poli, quæ se via candida pandit
 Signiferumq; secat diuerso tramite circum

CARMEN LVGVRE.

Heroum sedes, quos vexit ad aethera virtus,
 Aeternoq; dedit per secula nectare vesci.
 En tibi Frölichius pietate insignis & armis
 Ad surgit venienti vltro, caroq; poti
 Gratatus, caeli iusta plus parte relinquit.
 Affinemq; suum celebratus fortibus ausis
 Clerius adgnoscat, vidua & miseratus amorem
 Ardentem neptis, suspiria pectore ab imo
 Densa trahens lacrumis vix temperat ora profusis.
 Carolus in primis quam si senioribus annis
 Seruassent superi, nec terris inuidia tantum
 Fata ostendissent, poterant Saturnia mundo
 Tempora sperari, demum & compagibus artis
 Bella inclusissent dira exitialia porta.
 Ensis & in curuum transisset rursus aratrum
 Regiaq; aeterno viguissent lilia cultu:
 Obuius occurrens te lato suscipit ore
 Custodemq; suum dum spiritus ossa regebat
 Adiungit gaudet socium post fata quietis.
 Mirantur te etiam, magnum & comitantur euntem
 Antiqui heroes, nostra decora inclita gentis
 Tellius ille audens patriam qui primus ab arcu
 Vindice, damnatam iussit sperare salutem:
 Melchtallusq; minax, sequitur quem digna parente
 Magnanimus proles, nec non Stauffachia virtus,
 Tuq; maritalis vindex, infracte pudoris
 Baumgartnere, manus etiamq; securis obarmat
 Aerata, impuri rubicunda cruore tyranni

CARMEN LVGVBRE.

Quiq̄ ruens medios quondam deuotus in hostes
Insperata tulit funesta gaudia pugna.
Inuictiq̄ Duces alij, quorum ignea virtus
Restituit patriam, libertatemq̄, cruento
Firmatam gladio nostros tramisit in annos,
Omnes te lati adspiciunt, densaq̄ corona
Circumstant hūmerisq̄ exstantem attollere gaudens.
Hinc casus varios, nostraq̄ incommoda vitæ
Contuis, & rerum cursus misereris iniquos.

Tu tamen ô Guilherme refers qui nomen auitum
Tugineriadum, & generis fiducia certa es
Ingredere, aut potius vestigia certa parentis
Persequere, & luctus deponere doctus inaneis
Aut equare animis, aut vincere tende parentem.
Sic vigeat cunctas sua late effusa per oras
Fama, tui cunctas sic spes succrescat in horas
Vestraq̄ perpetuis maneat domus aucta triumphis:






EPITAPHIVM.

Quisquis ades qui facis isthac iter, moram face,
Comprime gressum, properato, licet necesse sit.
Exigua haud exiguum praemium auferens mora.
Hunc tumulum nempe vides; recte: at hoc recondier
Sub tumulo, quid precor interrogatus aestimes;
Accipe, dicam; Tuginerus repostus heic latet
Simplicitas, & pietas, illa prisca, & integra,
Qui benè multis, malè nulli nec ipse fecit, aut
Dixit, & omnes odio persequutus est malos.
Helueticæ militiæ rara gloria, & decus.
Vel potius, dicere namq; illud est apertiùs.
Exuias hic Tugineri lapis tegit, volat
Ipse patens qua patet orbis capacis orbita,
Præpete currum benè fama aurigante gemmeum;
Est animus Cœlicolûm redditus palatio,
Tu quoq; sic institue hoc quidquid est tibi super,
Vt neq; te pœniteat, nec tuos. Vale, & mea.





R258931460

R258931460

8



R258931460